
300
C 48

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 C 48




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 C 48

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 C 48



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 C 48



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 C 48



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 C 48

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 C 48

MicroChamber ®
Beschermd
KB

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 C 48

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 C 48

KW 300 C 48

CORNELII VAN LEEUWE JURIUM STUDIOSI ORATIO FUNEBRIS,

IN OBITUM

Auguſtiſſimæ, Sereniſſimæ, Illuſtriſſimæ

MARIÆ STUARTÆ,

ANGLIÆ, SCOTIÆ, HIBERNIÆ

ET GALLIARUM

REGINÆ,

ARAUSIONENSIS

PRINCIPIS,

NATÆ HUJUS SÆCULI ANNO Sexageſimo ſecundo, X Menſis Maji, denatæ Anno M. DC. XCV, VII Januarii, terræ mandatæ XV Menſis Martii.

TRAIECTI AD MOSAM

PRO CONCIONE DICTA,

A. D. VIII Martii in Templo Majori, vulgò, S. Joannis, A. M. DC. XCV.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 C 48

NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, Conſultiſſimis, Integerrimiſque Viris ac Dominis, Gymnaſii tam Illuſtris, quam Trivialis, Trajecti ad Moſam Curatoribus, Doctiſſimis, Vigilantiſſimis, Dominis non uno nomine æſtimandis,

D. D. EUSEBIO BORGGARTHO, Baroni Bentinck, Domino in Schoonheeten, Ordinario in Tranſiſulaniæ Provincia Deputato, Civitatum Haſſeleti, Trajecti ad Moſam, Comitatuſque Vroenhovienſis Summo Prætori ſuſpiciendo, &c. &c.

D. GULIELMO DE QUADE, Juriſperito Juriſconſultiſſimo, inclytæ Trajectinæ hujus Civitatis Comitatuſque Vroenhovienſis Vice-Prætori Splendidiſſimo, &c.

D. THEODORO VAN DEN HEUVEL, J.V.D. Celebratiſſimo, Commiſſario Inſtructori Vigilantiſſimo, Supremæ ibidem Curiæ, Comitatuſque Vroenhovienſis Judici digniſſimo, Integerrimo, Quæſtori Contributionum, quę colliguntur ab Illuſtr. Ord. Confœd. Belg. Trajecti ad Moſam Fideliſſimo, &c.

D. CORNELIO VAN BERGHEN, Verbi Divini in Eccleſia quę eſt Trajecti ad Moſam Pręconi Facundiſſimo, Vigilantiſſimo, Orthodoxę

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 C 48

thodoxę Doctrinę Propugnatori Strenuiſſimo, Fortiſſimo.

D. PETRO HERMES, Juriſconſulto latè terrarum decantatiſſimo, Viro Conſulari, Urbis Patriæ, Scabinorum Præſidi digniſſimo, Regionis Dhalenſis, nec non Rollęducis Propræfecto meritiſſimo, &c.

NEC NON

Perquam Reverendis & Spectatiſſimis Viris ac Dominis,

D. HERMANNO VAN LEEUWE, trium Regionum Tranſmoſanarum Antigrapheo, Parenti Venerabili, omni filiali obſequio & æternâ pietate colendo:

D. NICOLAO GHYSEN, Supremæ Curiæ Senatus Brabantici Scabino ſpectatiſſimo, &c. Cognato, quavis animi promptitudine proſequendo.

SI mihi centum linguas ex veteri Poëtarum voto natura donaviſſet; aut ſi jucundiori Metamorphoſi totus mens, totus lingua fierem, nondum ego meritorum veſtrorum plauſtra in me collata NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, CONSULTISSIMI ET PERQUAM REVERENDI SPECTATISSIMIQUE VIRI AC DOMINI vel eloqui poſſem, vel complecti. Ut ergo publicè conſtet, quod innumerabilia hæc veſtra beneficia nunquam à me Lethęis dabuntur aquis, & quàm mihi præ cæteris ſitis colendi; funebrem hanc Orationem, in grati animi teſſeram, ulteriorisque benevolentiæ & favoris ſpem, eâ, quâ par eſt reverentiâ, humillimè VOBIS NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, CONSUL-

TIS-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 C 48

TISSIMI PERQUAM REVERENDI SPECTATISSIMIQUE VIRI AC DOMINI, offero. Speroque facultatem aliquando mihi futuram, luculentiore monumento & ſignificatione meam obſervantiam VOBIS probandi & teſtificandi. Valete interim VIRI nobilitatis, virtutis & doctrinæ gratia venerandi, Supremus rerum humanarum Præſes Ter Optimus Maximus Deus diutiſſimè AMPLITUDINES VESTRAS, florentiſſimæ hujus noſtræ Civitatis Moſæ-Trajectinæ Columina, Civium, ut & Gymnaſii tam Illuſtris, quàm Trivialis bono, incolumes florenteſque conſervet.

VESTRARUM AMPLITUDINUM,

Humillimus & obſervantiſſimus Subditus,

C. VAN LEEUWE.

COR-

CORNELII VAN LEEUWE
JURIUM STUDIOSI
ORATIO FUNEBRIS,
IN OBITUM
Auguſtiſſimæ, Sereniſſimæ, Illuſtriſſimæ
MARIÆ STUARTÆ.

Splendidiſſimi & Generoſiſſimi Prætores. Ampliſſimi, Graviſſimi Conſules. Nobiliſſimi, Ampliſſimi, Conſultiſſimi, utriuſque Curiæ Senatores. Clariſſimi, Celeberrimi, omnium Facultatum Profeſſores. Reverendi, Doctiſſimi, Facundiſſimi, tam hujus, quam aliarum Eccleſiarum, Paſtores. Quarumcumque Facultatum & Artium Doctores, & Magiſtri, Conſultiſſimi, Experientiſſimi, Acutiſſimi. Perquam Reverende Rector. Honorandi Præceptores, Cives & Hoſpites omnium Ordinum, & dignitatum Spectatiſſimi, atque ornatiſſimi. Tuque ſpes Patriæ & Eccleſiæ, lectiſſima ſtudioſæ Juventutis Corona.

IN priſcis Romanorum memoriis narratur Metellus Macedonicus, cùm audiviſſet conclamari de Africano Scipione, quamvis vivus de principatu cum eo tam acriter contenderat, ut ex illâ æmulatione & de Rep. diſſenſione graviſſimum omnibuſque teſtatum exarſiſſet odium, auditâ tamen morte Scipionis, in publicum provolaſſe, & mœſto ac conturbato vultu lugubres has edidiſſe voces: Concurrite, Cives, concurrite, noſtræ Urbis Mœnia ſunt everſa. Mutatis mutandis, aurea hæc elogia, in fatali hoc caſu, funebri Orationi noſtræ, mirum in modum ſervientia; haud temerè mea faciam. Concurrite, omnium Ordinum, Graduum, Dignitatis, Sexus, Ætatis mortales, concurrite inquam, univerſi purioris Chriſtiani Orbis Mœnia corruerunt. Chriſtiana hæc noſtra Reſp. tantis à non longo tempore eſt agitata procellis, tantis concuſſa turbinibus, ut omnia ferè

In pejus ruere, & retro ſublapſa referri

viſa fuere. Non dicam de tantis & tam præclaris Anglorum utriuſque Elementi Belli Fulminibus, quæ paucis in annis, tumultuanti-

bus Bellonæ tempeſtatibus, acerbitas fati nobis ſubduxit non pauca. Confœderatorum Germanorum, aliorumve, Duces ſtrenuiſſimos, Legionum Præfectos, tacitâ veneratione tranſmittam. Celſiſſimus Waldecciæ Princeps, Copiarum in Belgio Fœderatarum Præfectus incomparabilis, nec non Maris ille Terror Architalaſſus Trompius, duo bellicoſiſſimi, piæ memoriæ, Heroës; quantillo temporis ſpatio ſunt nobis erepti. His tantis funeribus,cum decurſo vix anno tertio, tertium, ſed proh dolor! Omnium funeſtiſſimum, ſummo ſanè Chriſtianæ Reip. damno, AUGUSTISSIMÆ, PIISSIMÆ, SANCTISSIMÆQUE REGINÆ MARIÆ STUARTÆ acceſſerit, non poſſum quin exclamem magnâ vocis laterumque contentione, concurrite, haud fallaces Divini Auctoris imagines, Proteſtantium Mœnia corruerunt. Acerbum iſtum & lamentabilem SERENISSIMÆ BRITANNORUM REGINÆ occaſum, ejuſque Manes nullo non proſequi honore, cui liberum hunc aërem, hanc vocem, hunc ſpiritum, hunc denique florentiſſimum Chriſtianæ noſtræ Reip. ſtatum ex parte debemus; & in tam gravi vulnere, tam dubiis ac formidoloſis temporibus accepto, non flere, non ingemiſcere, non commoveri, caucaſo duriorem fore, nullus calculum nobis denegabit. Non hic vos REGINÆ virtutum buccinatorem diſertum (quis enim eſt tam diſertus, qui dicendo illas, cum omnem exceſſerint laudem, æquare ſe poſſet ſperet?) Sed hominis pii quidem, verum ægritudine confecti, inconditum murmur audituros, facilè intelligitis. Leves enim curæ loquuntur, ingentes ſtupent. Quid me, qui nunquam dicendo valui, fiet? Quid verò nunc, ſublimiori illi & exquiſito quorundam dicendi characteri non aſſuetus, agam? Florilegia compilabo? Verborum lenocinia hinc indè exquiram? Sententiarum pigmenta ſectabor? Suaviter tinnientes Modulos componam? Non eſt conveniens luctibus ille color. Orationem igitur rebus, verbis & modis lugubrem, benevoli expectate, faciles excipite, AUDITORES SPECTATISSIMI, ÆQUISSIMI! Non omnem AUGUSTÆ REGINÆ MARIÆ STUARTÆ vitam, nec quæcunque pro nobis & Confœderatis preclara geſſerit ordine recenſiturus, ſed ſicut Geographus in exiguâ tabellâ totum terrarum delineat orbem, ita & ego ſummaria virtutum GLORIOSISSIMÆ REGINÆ vobis pro ingenii imbecillitate potius digito indicare, quam enarrare ſtudebo, tandem de morte dicam, additâque conſolatione deſinam, dicendique finem faciam.

Generis ſplendorem, & ILLUSTRISSIMÆ REGINÆ proſapiæ nobilitatem, brevitati quia ſtudeo, hiſtoricorum calamis con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 C 48

conſignandam relinquo. Juventutem & lubricos ætatis annos laudent in ILLA, illi qui diſciplinis regendam habuere commendatam. Ad vera illa & divina animi nec non corporis bona, quæ ſemper ILLAM bonis amabilem, improbis formidabilem, omnibus admirabilem fecerunt, ut promiſſis ſtem, venio. SERENISSIMAM BRITANNORUM REGINAM, CELSISSIMAM ARAUSIONENSEM NOSTRAM PRINCIPEM, regali ſtirpe prognatam, illuſtri hoc honore haud fuiſſe contentam, ſed ſuis ſe feciſſe virtutibus monſtrabilem, & genus & Proavos, & quæ non fecimus ipſi, cum Ulyſſe, noſtra nequaquam dicenda eſſe facinora, notaſſe, tam obviæ eſt veritatis, ut nemini latere poſſit. In Deum enim, in puriorem Reformatorum Religionem impenſiſſimè ferebatur, Fixumque Cruci unicum fuiſſe amorem, nunquam eluxit clariùs, quàm tunc tempeſtatis, cùm præſidium opemque á CELSISSIMA NOSTRA ARAUSIONENSI PRINCIPE imploravere in ſummum diſcrimen adducta Regna & Provinciæ Chriſtianæ, cæteris tanquam lethæo poculo ſopitis, ſævis vitam commiſerit undis, Britanniamque ſervandi cauſâ petierit, quæ in ipſum diſcrimen, & periculum jam jam Religionis & Libertatis, ſi quid Libertatis ſupererat, naufragium faciendi, venerat. Secundis terrâ potita PIA NOSTRA PRINCEPS auſpiciis, è veſtigio omnium ordinum comprobatione & gaudio, (ſicuti memoriâ tenetis) AUDITORES CLARISSIMI, primi nec non ſecundi ordinis Patres,

Principis exornant nitido Diademate frontem,
Et Regni triplicis debita Sceptra ferunt.

SERENISSIMA NOSTRA ARAUSIONENSIS PRINCEPS, ut ſe non dominandi libidine adveniſſe palam faceret, nihil priùs, nihil antiquiùs, quàm injuſtiſſimæ ſervitutis, omnium capitibus impendentis, jugum depellere habuit. Illicò omnes illos Catilinas, tetramque illam Nationem perditorum ac profligatorum hominum, Angliæ Regnum omni ſcelere ac crudelitate lacerantium, puriorisque Religionis Caſtus & Ceremonias, cum omnibus fibris radicitus extirpantium, à Reip. procuratione amovit, atque ita adventus illius famâ victoriam partam vidimus, gladium vaginâ vacuum in Angliâ vix vidimus. Afflictas & labentes Libertatis, Pietatis & Religionis res in priſtinum decus & ſecuritatem reſtituiſſe, ex Orci faucibus æquè Britanniam ac Belgicam noſtram, dulciſſimum hoc natale ſolum, eripuiſſe; novimus. His peractis, reliquorum hoſtium conſultamina doloſa, ſiſyphi artes, dolos, machinationes ventis tradidit. Revera, quò Major, eò placabilior; in hac enim REGI-

NA laudabilis & ſummâ admiratione digna Ariſtidis humanitati haud cedens, ſeſe obtulit clementia, qui nullo eos, qui ipſum è Patria dejecerint proſequebatur odio, illuſtrius eſſe nihil quàm immerentibus & inimicis benefacere,cum Magno illo Alexandro inquiente: Sic ut de benefica hac REGINA, quod antiquitus de Antonio Imperatore, cognomento Pio, pia teſtatur Antiquitas, quoſdam ſine ſanguinis profuſione rexiſſe annos, non injuriâ prædicari poterit. Quæ enim virtus quæſo, miſericordiâ major in REGINA eſſe poteſt? Quis major honos, quàm reatuum facere gratiam iis, quos nigris in eſcam damnare corvis, Læſæ Majeſtatis exigeret crimen? Prædita fuit nunquam ſatis laudata REGINA mitiſſimâ Theodoſii Regis indole, cujus ſumma votorum hæc fuiſſe fertur, ut mortuos potius ad vitam revocare poſſet, quàm aliquod ſpoliare lumine corpus, quoties alicujus & mortem, & cauſam ſubſcriberet, Quàm vellem me neſcire litteras, clamitans. Infinita ac incredibilia poſſent adduci teſtimonia, in quibus Agnum in manſuetudine, ubi Leonis exercendi vires largita erat facultas, Columbam in benevolentia, ubi poterat eſſe Aquila in ſævitia & crudelitate, ſeſe præbuit. Injuriam beneficiis remunerans,contumeliam & opprobrium muneribus vindicans, in ſummâ dignitate ſubmiſſam gerens mentem, cunctis delicti veniam flagitantibus ignoſcens, pœnaſque merentes, oblivioni tradens. O divinam Naturam! O cæleſtem generoſitatem! Quid magis,quid ulterius in Regina requiri poteſt,quàm in Celſiſſimâ Majeſtate, maximam oſtendere tolerantiam? In præcipuâ gloria, excellentiſſimam proferre virtutem? In terreſtris omnis fortunæ ubertate, cæleſtis pietatis oſtendere copiam? His ritè perpenſis, quis non fatebitur hujus GLORIOSISSIMÆ REGINÆ CELSISSIMÆ ARAUSIONENSIS NOSTRÆ PRINCIPIS imperium illuſtrius, excellentiuſve fuiſſe regimine Zenobiæ, Palmyrenorum Reginæ, quam ſex annos dextro alite, Jura dediſſe, ſatis ſuperque veterum monumenta teſtantur. Quid nunc REGINÆ inſignem formæ venuſtatem, totiuſque & corporis & membrorum elegantiam, quam non ſatis mirari poſſumus, attinet; meritis efferre poſſe præconiis; non puto: ideoque plus hic cogitationi relinquendum erit, quàm ſermoni concedendum. Illud autem tam certum fuit, quàm quod certiſſimum

Non ſic Virginibus flores, non frugibus imber,
Proſpera non feſſis optantur flamina nautis
Ut tuus aſpectus populo!

Sicut formâ ſupra hominem auguſtiore cæteros longo intervallo poſt ſe reliquit mortales, ita etiam pietate alios inter caput extulit omnes.

Quan-

Quantum lenta ſolent inter Viburna Cupreſſi.

Sicutque ſtaturâ corporis nemini ſubjecit faſces, ita animi bonis, & tamen REGINA, ut inter Stellas Luna Minores, eminuit. Profecto, Rara avis in terris, nigroque ſimillima Cygno. Quid ſubtile ingenium, eximiam ſapientiam, per-excellentem doctrinam, aliave animi bona memorem, in quibus omnes eos, quibus arte benignâ, & meliore luto finxit præcordia Titan, tam longè ſuperavit, quàm corpora ſine pectore, eruditi. In quæſtionibus proponendis non minor Nicaulia, Schebæ Regina, quæ tam multos Gordios nodos, & Achillea argumenta, unico ac incomparabili illi ſapientiæ Phœnici Salomoni objeciſſe fertur. Non hic dico variarum linguarum peritiam, quas REGINA ita habuit cognitas, ut advenientibus plurimarum Nationum, complurium Regnorum Legatis, ſive Gallicè agerent, ſive Anglicè, ſive Belgicè, ſuam cujuſque linguam intelligeret, & ſine Interprete reſponderet. Sex annos Regni Clavum, partim ſola, partim conregnante REGE; tali pietate & juſtitiâ geſſit, ne reis facinoroſis ſævitiæ ullius, nec inſontibus injuriæ quærela ulla relicta fuerit, ſed clementiâ ita temperata, ut ſceleſti ac improbi, ſpe melioris vitæ, delicti aliquando impetrarent veniam, injuriamque paſſis reſtitutione in integrum ſubveniret: Sic ut durante ejus regimine Iros nunquam fuiſſe oppreſſos, nocenteſque non ſine cauſâ luiſſe pœnas, noverimus. Summum Jus, ſummam eſſe injuriam, favoremque in Judice plus valere optimâ lege in Codice, ſemper in pectore fixum habuit. Sequitur amor, quo ſuos proſequebatur Subditos, quos oculitus, imò medullitus ſicut mater amavit liberos, calamitoſorum fuit Mater, Ægrorum Magiſtra, in omnes PLACIDA, BENEFICA, MITISSIMA REGINA. Quid nunc Majeſtatem, Regalemque ejus attinet ſtatum, Orbis domitor Alexander, in omni ſuâ gloriâ, nulla ex parte cum eâ comparandus. Sed quò delabor? Reprimendum mihi hic eſt os. Nam

Ante diem clauſo componet veſper Olympo,

quam in tam amplo dicendi campo, vel argumenta, vel verba me defecerint. Has omnes excellentis animi atque ingenii vires, ad Rei Chriſtianæ bonum, & felicitatem publicam dum confert, noſtraque Chriſtiana Reſp. tot vexata calamitatibus, ſub florentiſſimo hujus Reginæ Imperio, paululum attolleret oculos, & Dei, Regis, ut & Reginæ perduellibus partim fractis ac domitis, partim captis ac comprehenſis, tandem aliquando ſe poſt tot mala reſpiraturam ſperare inciperet, ecce, ibi lentam, & omnem fallentem Medicorum induſtriam, infirmitatem, SERENISSIMÆ REGINÆ, immortalitate dignæ, inevitabilem attuliſſe ex hac vitâ migrandi neceſſita-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 C 48

ſitatem, nuntia fama tulit. O diram Fatorum ſeriem! O inexorabiles Parcas! O immitem mortalium ſortem! Moritur virtutum decus, vivens virtutis imago, quæ optimis ſemper exemplis præluxerat, extinguitur. Heu nos miſeros! Heu nos infelices! TE vivente, SERENISSIMA REGINA, in altiſſima ſedimus tranquillitate, à TE ex parte pependimus, conſtitimus, TU aſylum noſtrum, TU ſalutis noſtræ Servatrix, nunc lamentabili tuo occaſu in dubium ſtatum, in incertam, in calamitoſam conditionem, niſi Deus VENERANDI AVITÆ VIRTUTIS JAM DUDUM HÆREDIS NOSTRI, GULIELMI TERTII ſuccurrat dolori, omnia abvertuntur. Profectò ſi flendum eſt cum flentibus, ſi Lazarum Salvator noſter fleviſſe legitur, ſi quoque 12 Tabb. Leges funebrem recipiunt luctum, quis à planctu temperet? Quis à fletu, à lachrymis, & veris & ſpirantibus abſtinere poſſit? Amiſimus REGINAM, PRINCIPEM, qualem nunquam videbunt anni ſequentes, vel ſplendore & antiquitate gentis, vel ſanctitate, & innocentiâ morum, vel admirabili Sapientiâ, & exquiſitiſſimâ optimarum artium cognitione, vel omni concentu, conſenſuque laudis præſtantiorem. Si fuit ulla dies lachrymarum flumine digna. Hæcce litanda dies, lachrymis lugenda per ævum. Tendite ergo ardua ſublatas ad ſydera palmas, Angliæ NOBILISSIMI, ILLUSTRISSIMI, POTENTISSIMI, PRIMI ET SECUNDI ORDINIS PATRES, PURPURATI COMITES! Corona Regni veſtri cecidit. Eſt enim ſapiens, pia, clemens, benefica REGINA, Regni Corona. In lucida Reginæ facie, vita eſt, ejuſque benevolentia velut denſa nubes pluviæ ſerotinæ. Nec à luctu abſtinete ILLUSTRISSIMI ET PRÆPOTENTES GENERALIUM ET CONSILII STATUUM ORDINES! Amores & deliciæ veſtræ ceciderunt. Plangite NOBILES! Flos Nobilitatis cecidit. ORTHODOXÆ VERITATIS THEOLOGI PERQUAM REVERENDI, ET SCEPTRA ACADEMICA pullato incedite amictu! Chriſtianæ Reip. Columen concidit. VOS OMNES NOBILISSIMI, GENEROSISSIMI, GRAVISSIMI CONSULTISSIMI ET SPECTATISSIMI VIRI AC DOMINI, quibus inclytæ hujus Trajectinæ noſtrę Civitatis cura commiſſa eſt, mœſtis cedite pectora palmis! Præſidium veſtrum dejectum eſt. Plangite Templa! Perampla Theatra Fori! Plangite Trajectenſia Mœnia, Tecta Domorum! Plangite denique Cræſi & Iri, Senes, Juvenes, Viri, Mulieres! Fleto vicem STUDIOSA COHORS, & funde quærelas! Quilibet ex ani-

animo Citharam ſuſpendito,fleto! Gratiarum omnium ac virtutum ſedes, ultimus Naturæ conatus, Sæculi noſtri Gloria, noſtrum gaudium cecidit. Sed video AUDITORES, eſſe, quo reſpiremus, quo animum colligamus, nec tam videmur deſolati, quin meliora ſperari liceat, quando ILLUSTRISSIMA BRITANNORUM REGINA, SERENISSIMA NOSTRA PRINCEPS non tota abierit, ſed bonam ſuæ partem, animæ dimidium, BATAVICUM NOSTRUM HERCULEM, UNICUM POST DEUM IN TERRIS RERUM PERDITISSIMARUM VINDICEM, REGEM GULIELMUM virtutum Decus reliquerit, in cujus fidem, ſynceritatem, ſpes, fata, ſucceſſus noſtros collocare tutò & poſſumus & debemus. In hanc neceſſitatem naſcimur, ut moriamur, ſerius aut citius, pertinet ad illum, cujus arbitrio totus componitur Orbis. Denique ſi hanc, qua volvimur mortalem expenderimus vitam, miſeram, caducam, fragilem, momento durantem, infinitis caſibus obnoxiam, libertatis carcerem, tentationum ſentinam, cupiditatum altricem, honeſti carnificinam, ægritudinum officinam, omniſque eſſe infortunii diverſorium experiemur. Quæ ſi revolvamus à luctu credo abſtinebimus, ſcientes fruſtra nos fatigare & macerare animam æterna conſilia non capientem; ſimulque exiſtimantes non infeliciter agi cum his, qui in hac vita, virtute, ſcientia, bonis moribus ornati, Deo reddiderint depoſitum, utpote quod calamitoſam hanc effugerint vitam, finemque attigerint optatum. AUGUSTISSIMA HÆC REGINA, ad annum uſque trigeſimum tertium, ſummâ ſemper dignitate, nullâ auctoritatis imminitione, vitam protulit. In prætexta ætate innocentiam cum lacte imbibiſſe & cum ætate corroboraſſe, virginalem illuſtribus adornaſſe ætatem virtutibus, reliquum vitæ ſpatium, optimis muniiſſe conſiliis, affirmarunt Scriptores. Hoc felici progreſſu, LAUDATISSIMA BRITANNORUM REGINA SERENISSIMA NOSTRA PRINCEPS ad conſtitutam omnibus metam decurrit. Et cùm gliſſente jam valetudine, fatalem illam SIBI imminere animadverteret horam, REGEM verbis PATRESQUE affatur amicis. INVICTISSIME REX, brevi me mortali vitæ Colophonem impoſiturum ſentio,ideoque Regnorum Sceptra, rerumque moderamen, TIBI concredita relinquo, ex imis cordis penetralibus SACRAM TUAM MAJESTATEM rogans, flagitans, ne quid unquam prius aut antiquius Purioris Reformatæ Religionis conſervatione habeat, ex eâ enim omnia bona fluunt, ea neglecta, collabuntur ac concidunt omnia. VOS NOBILISSIMI,

MI, ILLUSTRISSIMI, POTENTISSIMI ANGLIÆ PATRES REGIS imperio amanter & fideliter, ut feciſtis hactenus, obtemperate: fœduſque cum Belgio initum, dum Spiritus hos regit artus, intactum ſervate, tenete, velis remiſque Proteſtantium Religionem tueamini: denique

Diſcite Juſtitiam moniti, & non temnere Divos.

Sic in hac vitâ eritis Crœſi, in morte Socrates. Tibi autem, POTENTISSIME REX, pro omnibus in me collatis beneficiis, honoribus, humanitatibus, quod toto ægritudinis meæ tempore, ne latum quidem à me receſſeris unguem, ſed ſemper adfueris, omnis fideliſſimi CONJUGIS præſtiteris officia, vigilias egeris, omnibus nervis meæ valetudinis recuperandæ cauſâ, omnium experientiſſimorum Medicorum adhibueris induſtriam, immortales ago gratias, & in grati animi teſtimonium, fidam hanc TIBI porrigo dextram, non enim nunc amplius, ut olim;

...... Dextræ conjungere dextram
Fas erit, & notas audire, & reddere voces.

Ille Opifex rerum & mundi melioris origo, SACRAM TUAM MAJESTATEM, horum Regnorum, Belgii Fœderati, & Chriſtianæ Rei bono, omni proſperitate cumulatam, diu ſervet. Vale, & iterum vale. Hac apprecatione factâ, deficiente jam & moribundâ voce (additis divinis multis elogiis, aureis revera malis in figuris argenteis, quæ cum ad conſolationes Regias perveneri-mus, huic inſeremus Orationi) evolavit. His auditis REX,

Semianimis mediâ fertur procubuiſſe domo.
Abſtinuiſſe cibis, donec Sol æquore flammas
Conderet, & nigro properaret veſper ab ortu.

Ferus, imo plané ferreus, & fibræ ut ſic dicam corneæ forem, omnemque humanitatis ſenſum animo ejeciſſem, ſi fatali hoc in caſu, officio deeſſem meo, digitoque compeſcerem labellum. Veniam ergo dabis, REX INDULGENTISSIME, pro tua innatâ in omnes mortales facilitate, Subditorum tuorum minimo, luctuoſo hoc tempore TE interpellanti, luctumque tuum dolenti. Ipſe tuam doleo REX INVICTISSIME, ſortem, & qui hactenus nulli ceſſiſti, dolori TE cecidiſſe, in acerbiſſimo hoc caſu, quem ne Socraticus quidem Hercules patienter ferat, animi paſſum deliquium, non mirum; domeſtica mala lachrymis eſſe majora, tam notum eſt, quàm quod notiſſimum.

Multis ILLA quidem flebilis occidit,
Nulli flebilior quàm TIBI.

Amiſiſti REGINAM, Thalami ſociam, partem animæ tuæ alte-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 C 48

alteram, dimidium Tui, Theſaurum Morum, Virtutum, Stemmatum, Splendorum, Charitatis, in cujus ſinum arcanas pectoris cogitationes confidentius ſolebas effundere, cum quo velut tecum loquebaris, cujus ſpiritu vivebas, in cujus animo ſecurus latitabas, ſuaviter quieſcebas, & aſſiduus lætabaris. Sed quid longiùs dolori tuo indulges, INVICTISSIME REX? Pone modum lachrymis, vires animoſque reſume. Reſpice REGINÆ TUÆ laudabilem ex hac vitâ exitum, ingens gaudiorum TIBI materia erit. Utinam vel Ciceronis nobis, vel Demoſthenis ſuppeteret facundia, tam doctè & tam cordatè laudabilem explicaremus exceſſum, ut illicò TIBI cor ſaliat. Sed cum quæ Natura negavit, optamus fruſtra; nihilominus pro virium mearum portiuncula, enarrabo. Ita NOBILISSIMA TUA omni vivendi ſpe jam conclamatâ REGINA ſe geſſit, ut nemo ex veteris Græciæ Sapientibus contemptum mortis tam magnificè jactarit in ſcholis, quàm ILLA fortiter exercuit in terrâ, in maximo ægritudinis cruciatu, defixis continuo in Fixum Cruci oculis cordis, tanquam in patientiæ Magiſtrum, cedro dignas & auro voces emittebat. En, inquit, CHRISTE JESU, à tuo pendeo nutu, ſi mori jubes, lubentiſſimè morior, ſi vivere placet, TIBI vivere non renuo. Cæterum in omnibus ſanctiſſimæ voluntati tuæ ſubſcribo, & me ex aſſe dedico. Doleat ejus occaſum AUGUSTISSIME REX, qui virtutis ejus & felicitatis conſcius non eſt, mecum ſanioris conſilii rationes inibis, gratulationes parabis & panegyres. Cecidit quidem Corona capitis tui in medio ætatis flore, ſed bonus Salvatori ſuo odor. Annis non attigit ſenectutem, attigit virtute, & quò cum mora temporis vix pervenire ſolent alii, eò celeri florentiſſimæ ætatis curſu, feſtina pervenit. È tuis brachiis in beatitudinis ſinum emigravit, an meliorem REX REGINÆ optaveris locum? Vos omnes *AUDITORES GRATISSIMI*, qui huc uſque cum NASSAVIO NOSTRO HECTORE, INVICTISSIMO BRITANNORUM REGE Heracliti egiſtis perſonam, eam deponite, eſtote hilares, veniat poſt tædia riſus.

Plaudite VICTORI! Lachrymarum claudite rivos,
Nam cæli CIVIS, nil niſi læta videt.

Ad nos quod attinet, juxta Salomonis oraculum, cum gaudentibus gaudebimus.

Ut igitur cælo morem, terræque geramus
Lugeo damna Soli, gaudeo lucra Poli.

Sed AUDITORES HUMANISSIMI, ſi mentem ſanam in corpore ſano habere contendimus, viventem virtutis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 C 48

imaginem PIISSIMAM BRITANNORUM REGINAM MARIAM STUARTAM, AUGUSTISSIMAM NOSTRAM PRINCIPEM, imitemur. Et ſi piùs mori nobis ſit animus, vivere cum EA diſcamus piè, benè incipiamus, pergamus, eoque in curſu perſeveremus, experiemur itaque cum ANGLORUM REGINA, perſeverantiam eſſe unicam Summi Regis filiam, virtutum finem, earum conſummationem, totius boni repoſitorium, & virtutem, ſine quâ nemo videbit Deum. Et ſi nos ejurata nequitia, vitiiſque noſtris, quibus Dei iram quotidie magis magiſque provocamus, verè pœnitentis & ad melioris vitæ rationem converſi animi certa dederimus documenta, Dator ille ſimplicis (ſed multiformis) ac quietæ Sapientiæ Deus nullo modo nos deſtituet, damnum noſtrum reparabit; POSTHUMO NOSTRO ET PATRIO PROGNATO FUNERE PHŒNICI, POTENTISSIMO BRITANNORUM REGI, mitiſſimam Moſis dabit manſuetudinem, multiplicem Joſuæ benedictionem, magnanimitatem Davidis, ardentem Joſiæ zelum. LIBANUM ILLUM MAGNUM de die in diem florentem ſervabit, ut ſub ejus umbrâ latere poſſemus, nobiſque licitum erit dulciſſimis uti liberalis Dei benedictionis fructibus. Ita, quod olim Alexandro ſcribebat Ariſtoteles, GLORIOSISSIMUS ANGLORUM REX, CELSISSIMUS ARAUSIONENSIS PRINCEPS, SUPREMUS BELGII NOSTRI FOEDERATI GUBERNATOR erit in Regno ſicut pluvia in terra, quæ cœli donum, terræ vita, viventium ſolamen exiſtit. TU vero SERENISSIMA REGINA veniam dabis dolori meo, ſi tua Clariſſima Decora, rudi & incompta oratione infuſcavi potius, quam laudavi. Ad me quidem quod pertinet, cùm ego haberi malim debitor gratus, quàm Orator Eloquens, faciliùs id aſſequar, omnem, ſi quâ in me eſt, ingenii famam abjiciendo, ut ſupremum hoc, qualecumque tandem eſt, CINERI TUO munus exſolvam. NOBILIS NOBILISSIMARUM VIRTUTUM EPITOME, MUNDI MIRACULUM, SÆCULI GLORIA, NOSTER AMOR, HUMANI GENERIS DELICIÆ, dicimus TIBI ultimum vale. Meritorum tuorum, ultimum hoc prœmium à Patriæ Patribus, omnibuſque tuis accipies Subditis, ut omnia tua Regia officia latè per Orbem & Orbis famam portabimus: dicemuſque Natis, narrabimus Poſteris; ut conſequentium Seculorum memoria ſciat, cujus STELLÆ ſimus, cui SOLI lucem debeamus, hoc modo infinita tua merita Toti Proteſtanti Orbi præſtita.

Nec

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 C 48

...... Nec ventura ſilebunt
Luſtra, nec ignotâ rapiet ſub nube vetuſtas.

Sed ut ad vos redeam ORNATISSIMI AUDITORES, ignoſcite quæſo, neſcio qui venti, vela impellentes noſtra, nobis improvidis carinam ex ſinu in vaſtum, & altum Oceanum ferè dejecerint. Volumus ergo dare vela retrorſum, ut quam primum Tellurem arripiamus. Quid ergo nunc præterea adferam ? Quid ? Nihil AUDITORES PRÆSTANTISSIMI aliud, niſi quod mos & officii ratio præſcribit, me HUIC ORNATISSIMO CONSESSUI ſummas agere gratias, quod tantâ celebritate ac frequentiâ confluxeritis, ut diem hunc Patriæ & Nobis luctuoſum, veſtro etiam dolore levaretis. Faxint Superi, ut hanc veſtram humanitatem lætiori occaſione compenſare liceat: Ad hoc prompti & alacres, animum & cor conſecramus.

DIXI.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 C 48

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 C 48

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 C 48

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 C 48

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 C 48